

perfectorum, proficentium, & incipientium; ut ad hunc locum intelligunt Nyssen, Theodoretus, Philo, Justus, Pfellus, Cassiodorus, Augustinus, Elias Cretensis relati à nostro Del Rio. His omnibus per adoptionem, & regenerationem filii Dei, unam præfert Deiparam, perfectissimis filiis longè perfectiorem Reginam; & non per regenerationem aut recreationem Filiam æterni Patris, sed per generationem, & creationem, in suo primo conceptu, seu creatione. Posteriora verba id suadent, quæ sic noviter premo.

Deipara est una illa, pura ipsa, vera tota, atque integra pura mundaque Dei columba.

625 Una est columba mea. Ex Hebræo legas cum emphatico articulo: una illa columba mea. Quasi dicat: Inter Adolescentulas, inter Concubinas, inter Reginas; illa una Deipara longè omnibus clarior, omnibus nobilior, & Reginis omnibus augustior Regina; & Filia semper excelluit. Unam enim dum eximit, singularem sanctitatem, singularem illius gloriam commendat, ut notat pro Beata Virgine Pfellus. Pagninus cum epithasi ex Hebræo vertit: una ipsa columba mea. Porro quæ una ipsa semper esse dicitur, nunquam alia, nunquam aliena, nunquam alterius extitisse laudatur. Una ipsa: hoc est, una est, quæ semper ipsa fuit, semper sponsa, & Filia mea; atque hunc sensum in conjugali fide, columbæ epithetum exigit; de qua Plinius lib. 10. cap. 34. Addit Sponsus, perfecta mea. Pagninus, immaculata mea. Genebrardus, integra mea. Hebraicè thamati, id est, vera; quæ nunquam fidem connubialem fefellit. LXX. alias reddunt oræ Leviti. 25. 30. ex quorum mente jure hic veritas, tota mea: ut suam columbam totum suum conjugium merito dixerit sponsus, in qua nihil unquam alienum fuerit. Alias iidem LXX. reddunt αμμος, Exod. 29. 2. id est, immaculata, inculpata, reprehensionis, & nomi expers. Alias legunt καθαρὸς Genes. 20. v. 5. & 6. id est, pura, munda mea. Est autem id columbæ aptum Epithetum, quippe avis mundissima; ut conitat ex Varrone lib. 3. de justitia cap. 7.

Nulla alia Eva, sive gratia filia par Deipara.

Vna ipsa est originalis gratia filia, munda & pura.

626 Subtextit Sponsus; Una est matri suæ, sive communem Matrem Evam intelligat, sive propriam Annam Deiparæ sanctissimam Parentem, sive gratiam Dei ipsam, tantisper expectavit natura ipsa, donec gratia fructum suū produxisset, ut loquitur S. Damasc. Orat. 1. de Nativitate Virginis; unicam asserit, non tam ut alias neget Evæ, & gratiæ filias, quàm ut Deiparæ singularem præstantiam significet. Quasi dicat: Non similem, non parem aliam Eva, vel gratia ipsa progenuit; non ulli unquam matri tanta talisque filia contigit. Denique ait; electa genitrici suæ. R. Salomon; pura est genitrici suæ. Arias Montanus; munda ipsa genitrici suæ. Rectè Hebraicam vocem bara vertit mundam; nam verbum barar, à quo ea cadit, est eligere, mundare, purificare. Et nomen bar Vulgatus vertit purus, Job. 11. 4. & mundus Psal. 23. 4. Igitur munda, pura, ac proinde munditiæ nomine, ac merito præ omnibus electa genitrici suæ: ut tantæ electionis gloria à prima munditia occiperit, neque electa nisi munda. Neque virtutem alterius vocis genitricis dissimulabo. Participium enim est temporis præsentis, quod Charisius antiquus Grammaticus docet referri adinstans. Certè, si ex recta Syntaxi participium præsens explices, in præsens ejusdem verbi tempus resolvat necesse est. Itaque electa, munda,

Genitricis vox referretur ad instans.

pura ipsa genitrici suæ, perinde valet, atque munda generanti ipsam: ut nimirum Filia hujus munditia ad primum generationis instans referatur, in quo mundissima fuerit generata: quasi dicat; munda pura ipsa dum generatur. Vides, Mariam dici non regeneratam, sed generatam? Vides, à Deo ipso per gratiam, non recreatam, sed creatam? Ceteri justi per infusionem gratiæ eos regenerantis, & recreantis, adoptantur in Dei filios: una inter omnes Deipara Virgo generatur, & creatur à suæ conditionis initio per originalem gratiam: atque ita speciali jure appellatur, & est Patris æterni Filia, ex ore illius procedens primogenita ante omnem creaturam.

Pura, munda, dum generatur.

SECTIO XXIII.

Deipara ex ore Dei prodiit, ut Mundus specialissimus, Mundo mundior: ubi opus sex dierum componitur Marianæ fabricæ sex horis absolutæ.

§. I.

Res tota stabilitur universum.

627 Principio statuendum est, universam hanc mundi molem ex eloquentis, seu dicentis Dei, summi, ac sapientissimi architecti ore produisse, ut patet ex primo Geneleos capite, & ex iis, quæ ibi observant Sancti Ecclesiæ Doctores. Hinc Ægyptii illi sapientes, qui symbolorum involucri divina obtegere mysteria consueverunt, Creatore mundi sic representarunt, ut ovum ore prementem effingerent; uti ex Porphyrio refert Eusebius lib. 3. c. 3. de Præpar. Evangel. his verbis; Creatorem Ægyptii appellavit, &c. Hic Deus ab ore ovum producit, à quo nascitur Deus, quem Ægyptii Phtha, Græci Vulcanum vocant. Significatur autem hujusmodi ovo mundus. Subinde liberi patris originis initiati ovum in sacris coluere, quasi mundi simulacrum. Lege Macrobius in saturnal. lib. 7. cap. 16. Plutar. in Sympotiæ. & lib. 2. de placitis Philoso. & Adriantum Junium lib. 3. Animaverforum cap. 4. Jam ergo cum audio, Deiparam ex ore altissimi produisse; eam ex divino ore prodeuntem, ut mundum quemdam specialissimum, prædicari reor. Neque inexpectè Virginem Matrem ovo mundissimo & candidissimo assimilaveris, cujus nobilissimus fetus, instar pulli, Christus Dominus extitit, Spiritu sancto, columbæ ad instar, ovum incubante, & fecundante. Audi Rupertum lib. 7. de gloria, & honore Filii Dei prementem illud Lucæ 11. 12. Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? ita argutè: Quod, vel quale ovum? Illud nimirum, cui Spiritus Sanctus obumbrare dignaretur superveniens in illud in modum volucris ovo suo supersedentis, donec pullus in eo formetur. Sic enim futurum erat, & sic factum est. Spiritus sanctus à Beata Virgo Maria, supervenit in te, & virtus Altissimi obumbravit tibi, & ita concepisti, & peperisti Filium volucrum. Ad cujus rei significationem in mundi primordiis, Spiritus sanctus ferebatur super aquas Genes. 1. 2. in similitudinem volucris (ait S. Hieronymus.) ova calore animantis: Et Diodorus Cilix, sicut avis ova fovet alis. Et forsitan huc spectat Christus ipse Proverb. 8. 22. Dominus possedit

Universa mundi moles quasi ex ore Dei prodit.

Deus ovum ore prementem effingebatur ab Ægyptiis.

Ovum in sacris coluere.

Deipara ovo mundo & candido assimilata, unde Christus quasi pullus, fovente Spiritu.

Luc. 11. 12. Rupert.

Genes. 1. 2.

posse dit

Prov. 8. 22. Epiphani.

posse dit me in initio viarum suarum. Ubi S. Epiphanius Hæresi 96. & in Ancorato asserit propriè legendum; Dominus instar pulli excludit me. An hinc Ægyptii suam illam exificationem augurati sunt? Certè Salomonis ea mens est, ni me fallo, ut mundus hic major, vel potius minor (Deipara nempe, in quam totus ille mirabili compendio collectus extat) ovi instar habuerit; ex quo Christus purissimè procreatus, & exclusus, qui ab Isaiâ c. 46. 11. avis appellatur, id est, columba, uti ibi explicat noster Sanctius. Vides, mundum ovo assimilari ex ore Dei prodeunti; nec dissimiliter Mariam candidissimo ovo conferri, ut mundum specialissimum ab ore Altissimi procedentem?

Deipara Mundo confertur & præfertur in sua Conceptione.

S. Bernar.

628 Etenim non unus est Deiparæ Panegyrista, qui eam Microcosmum nuncupavit, quique Megacosmo cõulerit. Terūtur Marianorū scriptorum vocibus verba illa Bernardi in Sermon. de B. Maria; ubi eam eximium quendam mundum omni apparatus perfectione exhibet: Altissimus sibi eam, quasi mundum specialissimum creavit; quam in justitia, & sanctitate coram ipso fundaret; & fluentis sapientiæ irrigaret, & celestibus desiderii, instar scilicet aeris sublimaret; & igne dilectionis accendendo illustraret. Hinc in ejus mente tanquam in firmamento, solem posuit rationis, & lunam scientiæ, & virtutes tanquam stellas speciei omnimodæ, &c. Habes ex Bernardo, Mariam singularem ratione mundo colatam, imò etiam prælatam, & quidem à prima ipsius creatione, omnium gratiarum perfectionibus cultissimam. Specialissimum mundum dixit pius Abbas, ut à communi reliquorum Adamitarum creatione, Mariæ creationem fecerneret. Homo enim quispiam minor mundus solet appellari à Philosophis Gentilibus, & ab scriptoribus sacris, nempe Basilio Homil. 11. in Hexaemeron, Nazianzeno Orat. 34. Gregorio Magno lib. 6. Moral. cap. 6. Damasceno 2. Fidei cap. 12. Ambrosio lib. 6. Hexaemeron cap. ultimo. Imò verò non parvum mundum, sed in parvo magnum potius mundum, compellendum esse hominem, sapienter censuit Nazianzenus Orat. 42. & in Jambicis; nimirum spectata hominis dignitate, in quo ea omnia, quæ per universum mundum dispersa cernuntur, longè perfectius concinnantur. At enim verò Deipara singulari ratione specialissimus mundus nuncupatur. An quia perfectior non tantum majori mundo, sed aliis hominibus, hoc est, minoribus mundis, Adamo etiam, atque Eva, condita? An quia vox specialissimus, artificis eximium studium, & structuram commendat? Equidem sic existimo, contrario ingenio atque opificis Naturam in majori mundo, imò & in minoribus artem præluisse, ut in Maria mundo specialissimo minime aberratum iri significaret. Itaque illa fuisse futuri operis vestigia ichnographica, hoc distinctum esse opus, tanto manupretio dignissimum.

Homo minor mundus, imò in parvo magnus.

Deipara specialissimus mundus quo sensu.

Mariam alii minorem mundum vocant.

S. Brigit.

629 Hunc absolutissimum Marianum mundum alii minorem, majorem alii nominant. Minorem dixit Angelus apud S. Brigitam in Revelat. cap. 5. Sermonis Angelici: Mundo creato adhuc unus minor mundus, Virgo Maria, coram Deo omni venustate nondum creatus adhabat; à quo major Gloria Deo, & Angelis major læticia, atque omni homini ejus

bonitate frui volenti, major utilitas, quàm de majori mundo, provenire debebat. Et postquam ex aliis, atque aliis perfectionibus majoris mundi creaturis, alias atque alias Mariæ minoris mundi gratias, perfectionesque descripsit, ita concludit: Unde mirum non est, si Deus in te, o minor munde, qui adhuc creandus eras, magis delectabatur, quàm ab initio in majori mundo. Cæterum Mariam compellendam potius majorem mundum alii censuerunt; Chrysostomus, aut quisquis est antiquus ille scriptor operis imperfecti in Marthæum Homil. 1. prope finem: Maria, inquit, spatiosior, & dignior facta fuerat, quàm totus mundus. Sanctus Chrysologus Ser. 3. de Annunt. Mariam orbe latiore dixit. Et S. Joannes Damasc. Orat. 2. de Mariæ Nativitate Cujus & S. Chrysol. gloriosa progressio, & partura mundo major. Agit de Annæ partu, qua in lucem edita est Deipara ut ex contextu patet, & ex nomine adis, quod de Virgineo partu, doloris experte nequit intelligi. Eadem mens est S. Gregorii Nicodemienis Episcopi in Orat. de Præsentat. Beatæ Mariæ cap. 3. ubi Ipsam latiore ea, quæ sub aspectum cadere, & non cadere conspecta est, creatam naturam dicit. Attexo illustrius adhuc testimonium cum immunitatis etiam notatione, Leonis Imperatoris cognomento Philosophi, ex Homilia in S. Deiparæ dormitionem: Cum ab initio in mundum adveneris, ut ipsum ipso splendidiorem, pulchriorem, puriorem, instaurares, & constitueres. ἀπ' ἀρχῆς ἐν κόσμῳ παρῆσα ἡμῖν καθαριότερα κατὰ δόξαν. Quæ pluribus reddidi Latinis, ut totam vim Græcitiæ exprimerem. Itaque Mariam Leo non alterum modo mundum, sed mundi etiam exornatricem, instauratricemque censuit; nimirum ad tam perfectum Marianum mundum, tanquam ad pelucidum totius munditiæ, nitoris, ac pulchritudinis exemplar, totus planè mundus ornatus, excultus, atque compositus est. Et quidem ab ipso Marianæ Conceptionis exordio, ab initio, Leone auctore: Ex inde scilicet à primo creationis principio Maria absolutissimum gratiarum, ac perfectionum Mundum, mundi que universi munditiam, nitorem, ornatum, innovationem in se præstitit: un mundo de gracias es Maria.

Alii majorem Mundum appellant.

S. Chrysol.

S. Damasc.

S. Gregor. Nicome.

Leo Imp.

Deipara à sua conceptione absolutissimus gratiarum mundus.

Totus Mundus per peccatum originale factus, deturpatus, & senio confectus.

ad Ephes. 1. 10.

Reparatus, & resarcitus à Christo per Deiparam, ab omni peccato immunem.

S. Damasc.

630 Hæc ut luculentiora appareant, observare licet, totum universum, atque omnes omnino res creatas, per peccatum fuisse contaminatas, fœdatas, deturpatas, & quasi senio quodam confectas: Per Christum verò, & Mariam ab omni vetustate, & contaminatione purgatas, instauratas, & ad pristinum reparatas. Quod Paulus docuisse visus est ad Ephes. 1. 10. Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Tertull. lib. 5. contra Marcio. c. 17. legit; Recapitulare, ad initium redigere. S. August. in Enchiridio c. 16. Reparare, resarcire omnia in Christo: in Maria quidem, & per Mariam Deigenitricem alterum post Christum, minorem, aut majore certè mundum, divinarum perfectionum imaginem experimentem. Ut enim sapientissimè S. Damascenus in Orat. de Domini Transfiguratione: Per Mariam Creator naturam omnem, interjecte humanitatis beneficio in melius commutavit. Nam cum homo, media quadam inter mentē, & materiam sede constitutus, rerum omnium conditarum tam quæ in aspectum cadunt,

cadunt, quam quæ oculorum sensum fugiunt, nodus & vinculum sit, profecto etiam opifex Dei Verbum per eam cum universis rebus conditis unum est. Expresit planè Damascenus Paulinam sententiam, qua universas creaturas in una Christi humanitate instauratas agnoscimus, non absque Maria & per Mariam. De qua S. Andreas Jerosolym. Patriarcha Serm. de Annunt. Senio quasi confectus mundus, per Mariam peccatorum senectam exiit. Et S. Petr. Dam. Ser. de Assumpt. eas Pauli voces Virgini adscribit: Considera & quæ in caelis, & quæ in terris in Maria refabricata. Lege S. Anselmum lib. de excellent. B. Virginis Mariæ c. 10. & S. Bernardum tom. 4. Ser. 61. c. 9. explicantes quo pacto mundus universus per Mariam fuerit instauratus. Cum igitur mundi totius instauratrix Maria extiterit, cumque mundus, ut multi observant, Creatoris imaginem quodammodo retulerit, cujus divinæ perfectiones per universas creaturas delineatæ cernuntur; Maria, quæ mole minor quidem mundus, dignitate verò ac perfectione maximus est, divinam profectò similitudinem longè toto ipso mundo vividius, longè refert perfectius, vel à suæ conditionis puncto. En qua ratione Deipara ex ore Altissimi prodierit ut mundus specialissimus, mundo mundior.

631 Hanc mihi Patrum sententiam in mentem revocavit sex horarum spatium, quo perfectissimum Dei opus Maria nempe, in Annæ utero conditum, supra statuumus num. 592. Quæ enim alia ratio extitisse potuit tam arcani temporis? Cur sex signatum horæ tam sacro Divinitatis opificio præscriptæ? Adhæc si singulorum dierum sex opera singulatum distinguas, atque ea cum singulis Marianæ fabricæ partibus, quæ successivis sex horarum intervallis efformatæ sunt, accuratius conferras, haud contemnendam quidem inter utraque sex dierum, & sex horarum opera proportionem inveneris.

§. II.

Opus primi diei, & primæ horæ.

632 DE primo creationis Mundanæ die hæc scribit Moyses Genes. 1. In principio creavit Deus cælum & terram, Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux; & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona: & divisit lucem à tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem; factumque est vespere, & manè dies unus: id est, primus. Ad amissim his respondisse dixerim primæ horæ opus in Mariana productione. Etenim, ut ex nihilo cælum, & terram primo producta fuisse ostenderet Moyses, in principio à Deo fuisse creata, scripsit; id enim creatur, quod ex nulla præexistente materia in lucem educitur. Quin ego creatam dixerim utramque genituram, Paternam Maternamque cum illas ex Joachimo, & Annæ, præter senilem ætatem, nativa sterilitate ad generandum profusus ineptis, per divinam virtutem decifas videam. Omitto quod Latini verbo creandi, & procreandi communem generationem expli- cant. Omitto quod Christi D. humana generatio dicitur Proverb. 8. v. 22. juxta LXX. translationem; Dominus creavit me initium

S. Andr. Jerosoly.

S. Petr. Damian.

Deipara genitura paternam, maternamque creatam quasi ex nihilo.

Prov. 8. 22. translationem; Dominus creavit me initium

viarum suarum: non tantum quia anima sanctissima creata, sed quia corpus etiam præter physicum morem momento generatum. Illud ex re, quod nominatim Mariam creatam etiã à Deo fuisse non sine epithati summi Theologi dixerunt. Isidorus in lithurgia de Assumptione, Proclus, Homil. de Christi Nativitate, Anselmus lib. de exordio mundanæ salutis, & Bernardus Serm. de Beata Maria: Eam tanquam specialissimum mundum sibi creavit. Ante alias rationes, quia propria Virtute condidit ineptis usus instrumentis. Recole dicta supra num. 572.

633 Porrò in hac creatione Paternum semen cœli instar, Maternum sanguinem ad instar terræ extitisse, haud alienum est. Nam illud efficax per se, & calidum, cœlestem refert sublimitatem; hic verò frigidus per se, & inefficax terrestrem præ se fert naturam. Cui consonat Aristotelis pronuntiatum lib. 1. Aristot. de Generat. animal. cap. 2. Marem id animal dicimus, quod in alio gignit; feminam quod in se ipso. Quamobrem in universo quoque naturam terræ, quasi feminam Matremque statuit: cælum autem, & solem, & reliqua generis ejusdem, nomine genitoris, patrisque appellant. Aptè his acciunt Joan. Geometra hymno 3. de Beata Virg. Maria, dum illius corpus sanctissimum affatur.

Salve corpus, quod bina integritate decorum est,

Terreni decoris, sydereique boni.

Utriusque pulcherrimam veluti portionem esse indicat, cœli terræque: nimirum duplici principio formatum, altero quod cælo, altero quod terræ simillimum. Audiendus S. Antoninus 4. parte tract. 15. cap. 4. §. 2. In principio scilicet per figuram, id est, prænotiavit figurando creandos cælum, & terram, id est, Parentes Virginis gloriosa, Joachim Patrem, & Annam Matrem ejus. Sicut nobiliss est cœli terra, ita perfectior est Pater, quia principium activum, quam Mater, quæ est principium passivum, & ideo prius describitur cælum factum, & postea terra. Quod late expendit.

634 Deinde, terram inanem, & vacuum, & abyssum in tenebris jacentem, tunc fuisse scripsit Moyses. Hebraicè; Terra autem erat invisibilis, & incomposita. Rectè invisibilis, quia necdum luce perfusa. Incomposita item rectè; necdum enim plantis, fructibus, floribus, & animantibus sese excoluerat. Ad analogiam. Mater illa Materna, si physicè spectetur, terra quodammodo erat inanis, vacua, invisibilis, & incomposita, inerti, inconcinna, rudi, & obscura facie; necdum enim naturalis ornatus inductus. Si verò moraliter dispiciatur, & propria si quæras merita, densissimis circumfusa tenebris: nam ea feminaria materia, utpote humano more propagata, quibusdam jam originalis culpæ prævis defædabatur umbris, humana, inquam, si spectes merita. Si enim propagantium scopum attendas, ad culpæ tenebras vergebat; mox ubi ad futuræ prolis dignitatem perventum, facta est lux. Atque hac mente dictum ab Anselmo lib. de Exordio Mundanæ salutis; Si quid originalis peccati in propagatione Matris Dei extitit, illud certè propagantium, non propagatæ fuit. Quid peccati originalis tunc fuit? Tenebræ mysticæ, quibus utrumque feminium obvolutum, nondum futuræ prolis nobilitate confi-

S. Bernard.

Paternum Deipara semen instar cœli, maternum ad instar terra.

Geometre

S. Antonin.

Joachim quasi cælum Anna velut terra.

Abyssus in tenebris jacens, & terra inanis, & invisibilis ad prævis materiam spectat prævis defædatur umbris.

S. Ansel.

considerata. Hinc S. Bernardinus t. 2. Serm. 52. a. 1. c. 3. Virginis humilitatem abyssum nuncupat, agens de prima Virginis conceptione; quod ego ad hanc primam in Annæ utero conceptionis horam retulerim, in qua materia illa, quod ex parte propagantium erat, in culpæ originalis humilitatem propendebat. Putatur eadem sanctissima virgo id voluisse illis verbis: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Vox enim vilitatem, statum despectissimum notat.

635 Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Plerique de elementari vento, accipiunt confovenite aquam, & terram ad generationem. Cui expositioni haud defuerit quod an Mariæ conceptione adaptes. Siquidem fermentitiam materiam à subtilioribus, calidioribus, & vivacioribus spiritibus, seu spiritibus, & tenuibus partibus cogi, quibus inest formatrix foetus virtus, multi putant. Vide S. Thom. 2. contra Gentes c. 89. & ibi Ferrar. capite suo 57. Quò spectat Cantacuzenus Rex in illud Sap. 7. 1. In ventre Matris figuratus sum caro. Ubi ita: Semen ingressum in alvum non quiescit, sed motu Spiritum attrahit. Spiritus verò dum illud calefacit, intervalla quædam in tumores immittit; deinde conformatur &c. Satis hæc videri possent, ut Spiritus Domini in primo opificio responderet Spiritus in prima Mariani opificii hora. Sed nobiliss aliquid moliamur. Etenim de tertia Trinitatis persona, communis Patrum sententia exponit illa Genesis verba. Totam illam ingentem molem spiritus sanctus dicitur confovisse & animasse, ex qua omnia viventia mox producerentur. Si ad rem nostram transferas, ipsummet Spiritum sanctum primæ conceptioni Marianæ adfuisse, disertis verbis fatentur S. Ansel. & Fulbertus, quorum verba dedi supra num. 251. & 605.

Sapi. 7. 1.

Cantacuze.

Spiritus S. conceptioni Marianæ adfuit.

Spiritus S. nullas in Maria conceptione tenebras tulit.

Luce illustrata est materia feminaria ad Deipara formationem.

S. Vincent. Ferrar.

S. Antonin.

636 Denique ut hujus primæ horæ opus absolvam, addit Moyses, dixisse Deum, Fiat lux, & facta est lux. Haud mora, Spiritus sanctus nullas in Mariæ Conceptione tenebras tulit, clarissima informem adhuc materiam fermentitiam luce perfudit sunt qui existiment, verà ac physicè lucē jam inde totam Annæ vulvam, totamque Marianam Conceptionem imbutam; per hanc lucem materiam illam feminariam fuisse illustratam, & purificatam. Porrò hanc materiariam lucem divinæ gratiæ indicem extitisse assero, quæ primam illam genituram formando foetui sanctissimo destinavit. Dum autem gratiam dico, non pro qualitate illa sanctificante capio, cujus incapax erat ea corporea materies, sed pro eximia Dei benignitate, quæ gratissimis auxiliis sanctum foetum amplexa est. Rectè ergo S. Vincentius Ferra. Serm. 2. de Nativitate B. Virg. premens illud; dixitque Deus: Fiat lux, ita loquitur: Ecce conceptio Virginis Maria. Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpæ facta est. modo autem in generatione filiorum sunt multæ tenebræ, propter intentionem carnalem, & corruptam Parentum. Sed de ista luce habetur 2. Reg. 23. sicut lux aurora, oriente sole manè absque nubibus rutilat, sic ista conjunctio Joachim & Annæ luminosa fuit. Consonat S. Antoninus 4. p. titu. 15. cap. 4. §. 2. Primum opus est conceptio ibi dicens: Fiat lux: in hoc præfigurans, & præordinans conceptum Virginis, cujus vita gloriosa lucem dedit saeculo. Et S. Brigittæ P. Ildeph. de Flores in Eccles.

revelatio huc spectat lib. 6. c. 56. Tempus, in quo sui concepta, bene potest vocari pretiosa, & aurea hora. Tunc namque incepit principium universorum, & tenebræ quasi festinabant verti in lucem. Et S. Gregorius Thaum. Serm. de Annunt. Quoniam tu sancta, omni humanâ naturâ splendidior, ac clarior genita es.

Aurea Mariana Conceptionis hora. S. Thaum.

§. III.

Opus secundi diei, & secundæ horæ.

637 SECUNDI diei operi quid in Mariano secundæ horæ officio responderit, Gen. 1. 6. facile explicabimus, si illud primò breviter attingerimus. Dixitque Deus: Fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Ego de vero Firmamento, quod quarto die stellis ornatum dicitur, cum communi Patrum sententia fumo; id est, de reliquis orbibus cœlestibus, præter cælum primum empyreum. Hoc autem firmamentum re verà inter aquas distinxisse sic explico, ut supracælestes his quidem similes, sed forma caelesti longè diversas asseram cum optimæ notæ Theologis. Itaque illas aqueum cælum esse rectè quis dixerit, quod proprios in hæc inferiora influat effectus aqueos, quibus ignei alii ab aliis cœlestibus corporibus emissi temperantur. Sed ad rem Marianam. Quodnam in secunda creationis hora firmamentum conditum? Certè inter humana membra caput primum delineari omnino existimat Lactantius lib. de opificio Dei c. 12. Fieri non posse arbitror, quin fictio à capite sumat exordium. Et magnus ille Aurelius Cassiodorus lib. de anima cap. 16. Cassiodo. Caput nostrum sex ossibus compaginatum, in similitudinem caelestis sphaeræ, rotunda concavitate formatum est, ut senarium illum perfectissimum numerum sedes nostri cerebri, cujus organo sapimus, contineret. Et S. Isidor. differ. lib. 2. Isido. differ. 17. Caput ad cælum refertur, in quo sunt duo oculi quasi duo luminaria solis & lune. Et S. Ambros. lib. 6. Hexaemeron c. 9. Cognoscimus humani corporis fabricam, instar esse mundi, siquidem ut cælum eminet aëri, &c. Ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere; præstantissimumque esse omnium, tanquam inter elementa cælum. Lege Plutar. lib. 5. de Placitis c. 17. Platonem in Timæo, Cenforinum de die natali: & observa ab Homero cerebrum appellari, spavè, quod ad instar cæli, ejus influxu, & illustratione inferiora moveantur, & sentiant.

Inter humana membra caput primum delineatur.

Lactanti.

Cassiodo.

Isido.

Ambros.

S. Ambros.

S. Bernar.

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite

Fluida substantia in supremo capite